

QUÆSTIO CXIV.

DE MERITO QUOD EST EFFECTUS GRATIÆ COOPERANTIS.

In titulo hujus quæstionis, cum dicitur meritum effectus gratiæ cooperantis, formalis est locutio, quia meritum exigit actum liberum, et actus quatenus liber indiget gratia cooperante, non sola operatione perficitur, unde quando Angelus in primo instanti, et Christus Dominus meruerunt per actum liberum, ille actus ita fuit a gratia operante directus, quod propter sui perfectionem, etiam habuit adjunctum cooperantem concursum, sicut habuit rationem actus liberi.

Dividitur autem hæc materia a D. Thoma in tria præcipua capita. Primum, est de subjecto meriti : secundum, est de forma, quæ est principium meriti : tertium, de objecto meriti. De primo agit tribus primis articulis, ostendens quomodo possit homo mereri erga Deum, etiam vitam æternam, licet non sine gratia : de secundo agit articulo quarto ostendens quomodo gratia sit principium merendi, præsertim per charitatem : de tertio agit ab articulo quinto usque ad articulum decimum, inquirens de his quæ specialem habent difficultatem, an cadant sub merito sicut est prima gratia tam pro se, quam pro aliis reparatio post lapsum, finalis perseverantia, et alia similia.

In articulo primo inquit utrum homo possit aliquid mereri a Deo, et respondet unica conclusione : Inter Deum, et hominem potest intervenire ratio meriti præsupposita aliqua ordinatione divina, ut scilicet homo consequatur a Deo mercedem pro sua operatione, ad quam Deus virtutem operandi deputavit, et hoc ideo, quia inter Deum, et hominem non est justitia simpliciter, sed secundum quamdam proportionem.

In articulo secundo inquit utrum aliquis sine gratia possit mereri vitam æternam. Et respondet conclusione negativa, quam in statu pure naturæ, quam in statu peccati.

In articulo tertio inquit utrum homo in gratia constitutus possit mereri vitam æternam ex condigno. Et respondet hac conclusione : In opere procedente ex gratia Spiritus sancti, si attendamus ad substantiam operis ut correspondet libero arbitrio non habet rationem meriti de condigno respectu vitæ æternæ, licet habeat congruitatem quamdam ad ipsam ; si autem attendatur valor quem habet ex motione Spiritus sancti, et dignitate gratiæ a qua procedit, meretur de condigno vitam æternam.

DISPUTATIO XXIX.

DE QUIDDITATE ET CONDITIONIBUS RE-
QUISITIS AD MERITUM.

ARTICULUS I.

Explicatur distinctio meriti de condigno, et de congruo, et conditiones virtusque.

I. Ratio meriti, vel demeriti est quædam proprietas actus humani secundum quam aliquo modo se habet erga alterum, sive in bonum, sive in malum, ut tradit S. Thomas supra quæst. XXI, art. III, ubi ostendit ex eo quod opus humanum fiat ab homine erga alterum, et erga communitatem, resultare quod debeat ei aliqua retributio vel ab altero, vel a tota communitate, sive gubernatore illius.

II. Ex quo fit, quod ad meritum in communi concurrunt tres conditiones quas communiter auctores numerant. Prima, quod sit actus liber, seu humanus : secunda, quod sit bonus : tertia, quod sit bonus vel utilis relate ad alterum, alioquin non dabitur ei retributio si alteri neque bonus, neque utilis sit. Unde de his duabus conditionibus, scilicet quod actus sit bonus, et relate ad alterum nulla est difficultas, quia si actus non sit bonus, sed malus, non meretur, sed demeretur : si autem sit indifferens nec meretur, nec demeretur. Quod vero actus debeat esse liber multo minus dubitari potest, quia naturalibus nec meremur, nec demeremur, nec nobis imputabile est, quod necessario fit, nec denique actus necessarius habet bonitatem moralem, nec est obsequium erga alterum sine quo ratio meriti inveniri non potest.

Unde dicitur Eccles. xxxi : *Qui potuit transgredi, et non est transgressus, facere mala et non fecit, ideo stabilita sunt bona illius in Domino.*

III. Meritum sic in communi consideratum dividitur vulgari divisione in meritum condignum, et congruum. Meritum condignum vocatur illud quod habet in se valorem, et æqualitatem cum præmio. Meritum congruum est quod exceditur a præmio in valore, est tamen conducens, ut ei sic excessive retribuatur a retribuente. Exemplum utriusque est in milite, cui proprium stipendium exhibetur de condigno, de congruo vero datur illi beneficium nobilitatis, vel donativum aliud quod a rege. Rursus meritum de condigno aliud est de rigore justitiæ, aliud de condignitate tantum. Quod est de rigore justitiæ induit obligationem, ut non possit non acceptari : quod autem non est de rigore justitiæ, habet quidem valorem æqualem præmio, sed non induit obligationem ad acceptandum illud. Unde in actione meritoria aliud est principium valoris in ipso actu, aliud principium obligationis de justitia in ipso retribuente. Et potest obligari retribuens ab aliqua lege sibi imposita, vel positiva, vel naturali, sicut obligatur homo ex lege naturali ad distribuendum unicuique juxta merita sua. Si vero sit judex carens omni lege, et omni superiori sicut Deus, non poterit obligari ad retributionem præmii ex vi alicujus legis, sed solum ex aliqua ordinatione, vel pacto suo, de quo postea dicemus. An vero meritum de congruo inducat aliquod jus in merente saltem proportionale respectu præmii, dicemus articulo sequenti, tractando an retributio meriti sit actus justitiæ.

IV. Hæc autem applicando merito supernaturali respectu vitæ æternæ, præter tres generales conditiones

supra positas pro omni merito, requiruntur aliæ tres speciales, duæ ex parte merentis, quæ ab omnibus admittuntur. Prima videlicet quod merens sit in statu gratiæ: secunda quod sit in statu viæ; nam cessante via, et posito termino, seu fine possesso non est amplius quod quis mereatur: tertia quod detur aliquod pactum, seu ordinatio operis meritorii ad præmium, non quidem ut ipsum opus ex tali pacto valorem intrinsecum suppleat, sed ut inducatur obligatio ad retributionem operis.

V. Prima conditio intelligitur de gratia habituali dignificante, et sanctificante, quæ conjuncta est charitati, sine qua nullum potest dari meritum vitæ æternæ. Unde dicitur I Corinth. XIII: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: et in Concilio Tridentino sessione VI, capite XVI dicitur: « Quod Christus tamquam vitis in palmites, et tamquam caput in membra influit in ipsos justificados virtutem quæ bona eorum opera antecedit, comitatur et subsequitur, sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possent. » Et ratio ex eo sumitur, quia meritum est dignitas operis ratione cujus ipsum opus censetur dignum aliquo præmio, omnis autem dignitas operis a dignitate personæ derivari debet, existente enim persona indigna ipsum opus non potest habitare, et dignificare personam ad consequendum præmium: nam hoc ipso non existeret persona indigna, et sic quando opus exit a subjecto, si non supponit illud dignum, nec ipsa elicientia operis digna est, et ideo dicitur Genes. IV, quod: *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus*, quia prius dignitas personæ attenditur, quam operis.

VI. Secunda conditio, quod ali-

quis sit in statu viæ ut mereatur, deducitur manifeste ex Scriptura, ut ex illo Joannis IX: *Venit nox* (id est, mors) *quando nemo potest operari*, id est, meritorie laborare: et II ad Corinth. VI: *Omnes nos oportet adstare ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum*. Ergo quod geritur post corpus non refertur in illo tribunali pro recipiendo præmio, vel pœnæ: ac denique Eccles. XI dicitur: *Ubi cumque ceciderit lignum, ibi manebit*. Et est optima congruentia, quia post viam homines sunt in termino, et possessione præmii, scilicet beatitudinis; ergo non convenit ut ulterius per merita tendant ad præmium, sic enim nunquam finiretur via dum non finitur meritum, quod est via ad præmium, et cum ipsa beatitudo sit ex sua natura immutabilis non est conveniens ut obtenta ulterius augeatur, vel minuatur.

VII. Sed est difficultas, an repugnet meritum in statu beatitudinis ex natura intrinseca talis status, vel ex mera Dei voluntate. Est autem certum essentialem beatitudinem non repugnare cum merito si adjungatur illi status viatoris, ut constat in Christo Domino, qui simul fuit comprehensor, et viator, ut docet S. Thomas III parte, quæst. XV, art. X, licet repugnet quod respectu ejusdem simul moveatur per meritum, et quiescat per possessionem præmii, ut dicit ibi S. Thomas ad primum, sed merebatur gloriam corporis, et possidebat essentialem beatitudinem, et de Angelis aliqui dixerunt, quod modo merentur aliqua præmia accidentaliter, ut refert D. Thomas I p. quæst. LXIV, art. IX ad tertium.

VIII. Quare respondeo ad propositam difficultatem, quod respectu beatitudinis adæquatæ, et possessæ repugnat ab intrinseco dari meri-

tum, non tamen repugnat de potentia absoluta, quod etiam in termino adeptæ beatitudinis mereatur aliquis ulteriorem gradum, et augmentum illius, sed id solum repugnare ex ordinatione divina. Ita sumitur ex S. Thoma, citato loco primæ partis, in calce corporis, ubi solum ex prædestinatione, et ordinatione Dei assignat rationem quare consecuto aliquo gradu gloriæ ulterius ad altiore transiri non possit. Ratio est, quia de potentia absoluta potest crescere gradus gloriæ, si quidem unus beatus est major alio; ergo ille minor beatus poterit de potentia absoluta acquirere illum majorem gradum: ergo potest illum mereri. Patet consequentia, quia non repugnat illi principium merendi quod est gratia, nec repugnat illi quod simul sit comprehensor, et viator respectu diversorum: unde licet sit in termino ultimo respectu primæ beatitudinis adeptæ, potest tamen esse in via ad ulteriorem gradum, qui illi deest, et de potentia absoluta obtineri potest.

IX. Nec obstat, quod actus charitatis est necessarius in patria, et incapax meriti. Hæc enim difficultas in merito Christi Domini solvitur, qui merebatur per actus charitatis, vel quatenus regulabantur a scientia infusa (ut plerique existimant) vel quatenus procedebant a visione Dei, et libere attingebant objectum secundarium. Idem ergo potest contingere in quolibet beato.

X. Dices: Ergo non etiam non repugnabit mereri aliquem de potentia absoluta beatitudinem quam de facto habet. Patet sequela, quia non repugnat quod alicui detur præmium anticipata solutione ea conditione ut postea mereatur illud, quod nunc habet. verum quando illud præmium quod anticipate datur non est principium meriti, sicut de facto ipsa beatitudo non est princi-

pium meriti, sed gratia, et charitas, præsertim si non regularetur per ipsam visionem, sed per scientiam infusam extra Verbum.

XI. Hoc argumentum in multis occasionibus solet esse molestum, quia difficile est reddere rationem, cur sit necessaria conditio ad meritum quod aliquis careat præmio ut mereatur illud, et tamen illud requirit S. Thomas, quia III p. q. XIX, art. III ex eo colligit quod Christus non meruit beatitudinem, neque gratiam, quia deberet carere illis ut mereretur: si autem ista conditio non esset necessaria enervatur illatio S. Thomæ, imo oppositum deberet colligi, scilicet Christum Dominum meruisse suam beatitudinem, quia una ex parte nunquam careret illa, et ex alia nobiliori titulo haberet, scilicet merito proprio.

XII. Ut autem radicitus evellatur illud exemplum de præmio anticipata solutione habito, advertite quod præmium dupliciter haberi potest. Uno modo possessione perfecta, tamquam proprium, et secundum statum præmii: alio modo imperfecte quasi mutuatum et commodatum, post actiones autem meritorias incipiet illud perfecte, et tamquam proprium possidere. Quando ergo S. Thomas requirit pro conditione necessaria ad meritum carentiam præmii, loquitur de carentia perfectæ possessionis: si autem quis nondum possidet perfecte præmium, sed solum quasi præcario, et mutuo, deinde vero per meritum acquirit perfectam, et juridicam possessionem illius, simpliciter non habet illud, sed secundum quid; habebit autem perfecte post meritum; sic ergo non est inconveniens quod aliquid habeat id quod non est principium meriti, sicut beatitudinem imperfecta possessione ante meritum de potentia absoluta, dummodo actiones meritoria non acci-

plant valorem ex illa, quia si habens beatitudinem nondum est in termino, utpote nondum habens perfectam possessionem illius, licet anticipata solutione, quasi mutuato illam habeat, et sic meritum illud fertur in visionem, ut plene possidendam, et tamquam propriam, quod nondum habet, licet imperfecte, et quasi mutuatum habeat.

XIII. Tertia conditio non est ita certa apud omnes, sed quidam requirunt pactum, et ordinationem in omni merito, tam erga Deum, quam erga homines, non quidem ut actio valorem recipiat, sed ut obligationem strictam retribuendi inducat, sicut si quis laboret in vinea alterius sine aliqua conditione, vel pacto, opus facit dignum mercede, cæterum alter non habet strictam obligationem recompensandi, sed potest acceptari illud ut gratis oblatum.

XIV. Cæterum licet hoc verum sit ad meritum de rigore militiæ, et ut alter obligetur recompensare laborem vineæ ex justitia commutativa, quia non intervenit aliquod pactum, et contractus, tamen non videtur verum respectu meriti de condigno tantum, et non de rigore justitiæ, quia ad hoc ut aliqua actio sit meritoria erga rempublicam, vel alterum hominem solum requirit S. Thomas quod sit relata ad alterum, et in bonum illius, ut constat ex prima secundæ, quæst. XXI, art. III. Nec unquam meminit istius pacti, vel ordinationis, et quasi contractus in merito erga homines. Et ratio est, quia ad meritum solum requiritur jus ad præmium juxta leges justitiæ distributiæ, non commutativæ; justitia autem distributiva non fundatur in aliquo pacto, vel contractu personarum, sed solum in proportionem personæ, et dignitate erga præmium; hoc enim solum tenetur respicere distributor, scilicet quod is cui dandum est præmium in se di-

gnus sit secluso omni alio pacto; ergo hoc sufficit ut meritum verum habeat rationem meriti, licet non ut obliget secundum leges justitiæ commutativæ, sicut non obligatur quis reddere laboranti in vinea, cum quo conventionem non fecit.

XV. At vero in merito erga Deum est specialis difficultas, quia Deus non est capax alicujus obligationis, nec secundum justitiam commutativam nec distributivam, nisi ex ordinatione sua, ut D. Thomam docet hic articulo I et II, et ideo ut actio hominis erga Deum inducat aliquod jus retribuendi indiget ordinatione. E contra vero, non apparet quomodo sit necessaria hæc ordinatio, vel pactum Dei: etenim non requiritur hoc pactum in demerito, seu culpa; ergo neque in merito, quia contrariorum eadem est ratio. Constat autem, quod qui peccat sine alia ordinatione, vel pacto Dei, est illi debita pœna; ergo similiter hoc ipso quod facit bonum meretur præmium. Item jus istud ad distributionem præmii nihil aliud requirit in homine quam dignitatem, seu proportionem cum præmio, nam hoc ipso debet illi retribui a communitate, vel ejus capite, juxta talem proportionem; sed dignitas operis ad præmium nullo modo oritur ex ordinatione Dei extrinseca, sed ex intrinseco valore operis; ergo non est necessarium aliud pactum præter collationem gratiæ, nec nobis constat de alio pacto, et ordinatione divina, multique sine illorum notitia justificantur; si autem esset necessarium pactum, etiam notitia illius necessaria esset.

XVI. Nihilominus asserendum est necessariam esse ordinationem divinam, sive promissionem aliquam, et pactum, ut actio nostra jus meriti inducat apud Deum, id enim significat D. Thomas illis verbis articulo primo: « Et ideo meritum homi-

nis apud Deum esse non potest nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis, ita scilicet ut id homo consequatur a Deo per suam operationem quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit. » Quare secundum D. Thomam voluntas Dei hoc ipso quod dirigit hominem ad beatitudinem, et deputat gratiam, ad merendum per illam vitam æternam, ponit conditionem requisitam, ut opera illa non solum valorem, et æqualitatem habeant cum præmio, sed etiam acquirant jus meriti apud Deum, ad intelligendam autem mentem S. Thomæ videatur Cajetanus art. I, §. In eodem, primo articulo et articulo III, §. Sed hæc, usque ad finem dubii.

XVII. Ratio conclusionis est primo, quia datur talis ordinatio, et pactum Dei, ut colligitur ex parabola Matth. XX conductorum ad laborandum in vinea: *Conventionem autem facta, cum operarii ex denario diurno, etc.* quod Concilium Senonense capite XVI explicavit de promissione illa ad meritum boni operis requisita. Et nomine denarii diurni communiter patres intelligunt præmium beatitudinis, ut videri potest apud D. Thomam in catena super ipsum locum Matthæi, quod immerito pater Vazquez I p. disp. XLVII a capite secundo intelligit non de beatitudine, sed de prima gratia, cum constet quod prima gratia nullo modo est merces, denarius autem vocatur merces in illis verbis: *Voca operarios et redde illis mercedem*, et nomine conventionis intelligitur promissio, seu ordinatio divina, ut bene advertit Cajetanus super istum locum Matthæi, quia non solum, inquit, spem præmii, sed certum præmium promissum a Deo, et acceptatum ab operariis significat conventio hæc.

XVIII. Secundo probatur, quia

non potest in merito innasci aliquod jus verum erga alterum, etiam secundum leges justitiæ distributiæ ex sola dignitate, et valore operum seclusa ista ordinatione, quia non est verum jus quod non induit aliquam obligationem in altero ad retribuendum; si enim ex nulla obligatione retribuat, mere gratis, et liberaliter retribuit; ubi autem est mera, et sola gratia nullum jus formaliter respicitur, ut patet quando gratuito donamus alteri, talis enim donatio si fieret intuitu alicujus juris esset remuneratoria, et non mere liberalis; ut autem in altero nascatur obligatio ad respiciendum jus alterius, requiritur quod opus factum non sit illi alio titulo debitum, quia sic poterit illud tali titulo acceptare; et non ut remunerandum tamquam meritum requiritur etiam quod teneatur aliqua lege saltem naturali, ut ex illa obligetur ad respiciendum jus secundum leges justitiæ distributiæ. In hominibus ergo utramque istam conditionem invenimus sine aliquo pacto, vel ordinatione: nam etiam supremi principes sunt subjecti legi naturali ad digne distribuendum, et similiter omnia quæ fiunt in eorum obsequio non sunt alias debita, et ideo inducitur jus meriti a bonis operibus sine ullo pacto, in Deo autem neutrum currit, quia opera nostra sunt multis aliis titulis illi debita, utpote cum habeat eorum dominium, similiter nullam habet legem supra se, ergo ut ex nostris operibus nascatur jus erga ipsum quatumcumque sint digna, requiritur aliqua ordinatio, vel conventio voluntatis ejus.

XIX. Ad primum in oppositum respondetur esse disparem rationem de demerito quia offendens ipsa sua offensione diminuit jus, vel honorem alterius, unde hoc ipso sine alio pacto nascitur in ipso læso jus con-

tra offendentem, ut ei restituat; at vero merens non hoc ipso quod facit bonum, accrescit aliquid Deo in cuius obsequium facit, juxta illud Job xxxv: *Si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua recipiet?* Præsertim cum illud opus quod fit erga Deum, sit alias debitum, et consequenter ex ipso solo non nascitur jus erga Deum, nec in ipso obligatio ad recompensandum.

XX. Ad secundum dicitur, quod istud jus non ponit in homine solam dignitatem, et valorem ad præmium, sed requirit etiam alias conditiones ut nascatur jus erga Deum, quod non currit respectu hominis, quia cum teneatur lege superiori saltem naturali ad retribuendum secundum justitiam, hoc ipso quod fit opus alias non debitum, sed tamen proportionatum, nascitur jus retribuendi; hoc autem pactum ut diximus innotuit hominibus in ipso quod eis innotuit sibi proponi in præmium vitam æternam, quod omni qui justificatur innotescit, cum sit simpliciter necessarium ad salutem credere de Deo: *Quia est, et quia remunerator est*, ad Hebr. xii, denique non evacuatur ratio meriti si jus non nascitur ex valore operum, nec enim negamus inde etiam nasci, sed non inde præcise, requirit enim alias conditiones, sine quibus non nascitur tale meritum, id est, pactum, et ordinationem divinam ut dictum est.

ARTICULUS II.

Utrum retributio meritorum in Deo sit actus alicujus justitiæ, et quænam illa sit?

I. Quæstio ista diffuse tractatur ab auctoribus hujus temporis, quam accumulatis difficultatibus satis prolixam reddiderunt, ut autem punc-

tum controversiæ ad brevitatem reducamus, distinguendi sunt quatuor tituli ratione quorum potest intelligi quod Deus retribuatur mercedem pro meritis supposito pacto, vel promissione sua. Primus titulus est fidelitatis quatenus facta promissione non potest Deus se ipsum negare, sed debet reddere promissionem veram; sed hic titulus magis est respectu sui, quia debet esse verax in promissis suis, quam respectu nostri: secundus titulus est gratitudinis, quæ respicit obsequium factum erga alterum, vel beneficium receptum, ut recompensetur, et licet Deo non possimus tribuere beneficium, bene tamen obsequium, nec tamen ex hoc constituitur debitor obsequii ex natura actus, sed supposita promissione sua: tertius titulus est justitiæ distributiivæ, quæ respicit proportiones personarum in ordine ad præmium quod distribuendum est: quartus titulus est justitiæ commutativæ, quæ respicit æqualitatem absolutam inter rem, et rem cum debito mutuo personarum.

II. Differunt autem istæ duæ justitiæ distributiva, et commutativa ex parte materiæ, et ex parte formæ, seu medii quod observant, et ex parte personarum quæ respiciuntur. Ex parte materiæ, quia materia justitiæ commutativæ sunt vel commutationes voluntariæ, vel actiones, et passiones injuriosæ, ut emptio, et venditio, et alii contractus voluntarie facti commutationem justitiæ observant; et similiter satisfactiones, et recompensationes injuriarum: ex parte formæ, seu medii utraque justitia respicit æquale, sed commutativa æqualitatem absolute, et secundum quantitatem rei ad rem; distributiva vero æqualitatem proportionalem secundum dignitatem et proportionem personarum ad præmium. Et prima æqualitas

vocatur arithmetica, quia fit quasi inter numeros, ut si quis dedit, vel abstulit duo, recipiat, vel recompenset duo: secunda vero æqualitas vocatur geometrica, quia fit quasi inter proportiones figurarum quarum una excedit aliam, vel exceditur. Denique ex parte personarum justitia commutativa est inter personam et personam, ut sunt partes particulares communitatis; justitia vero distributiva est secundum respectum totius ad partes, seu superioris distribuentis ad inferiores quibus distribuitur: sicut e converso ordo partium inferiorum ad ipsum totum, sive ad superiorem in ratione æqualitatis faciendæ fundat justitiam legalem, quæ respicit adæquationem inferiorum ad legem, et ad bonum commune. De quibus videri potest D. Thomas 2-2, quæst. lxi per totam, et quæst. lviii, art. v.

III. Hoc supposito, tota difficultas præsens reducitur ad duo puncta. Primum, an meritum possit respicere aliquod debitum ex justitia, quod est debitum rigorosum, et legale; an solum debitum fidelitatis, et gratitudinis, quod est debitum decentiæ, et morale: secundum, an saltem retributio meritorum in Deo servet formam justitiæ distributiivæ, vel commutativæ. Circa primum pater Vazquez super hanc quæstionem disputatione cccv, cap. i, et refert se ad primam partem disputatione lxxxv et lxxxvi, tenet quod meritum non respicit aliquod debitum ex justitia, sed id quod ex justitia respicitur prout tale solum esse præmium, et sic qui laborat in vinea pro denario, et miles pro stipendio, ille denarius, vel stipendium non est præmium, nec respondet merito, sed est præmium illius laboris. Quare solum redditur præmium ex fidelitate, vel gratitudine, non ex justitia distributiva. Et hunc modum etiam sequitur pater Lorca hic dis-

put. xlv de gratia. In alio vero extremo pater Suarez in opusculo de justitia tenet esse in Deo non solum justitiam distributivam, sed etiam commutativam seclusis imperfectionibus, quas per accidens habet, eamque dicit servari in retributione præmiorum pro meritis. De quo agemus circa secundum punctum.

IV. Fundamentum Vazquez sumitur ex eo quod debitum justitiæ in nostris operibus nascitur ex ipso valore, et labore operis, prout ei correspondet præmium, non præmium; potest enim hoc præmium deberi non solum ratione actionis humanæ, sed etiam ratione actionis bruti, ut patet in eo, qui conducit jumentum ad laborandum, et pro labore jumenti recipit præmium ex justitia. Et similiter miles recipit pro labore suo stipendium, non præmium; alia ergo est ratio præmii, illa proprie solum est actionis humanæ ut humana est; hæc est communis omni actioni laboriosæ, etiam si non sit humana. Ratio autem præmii debetur ex justitia, ergo corona, vel præmium debetur ex gratitudine vel fidelitate, non eo modo quo debetur præmium ex justitia. Et confirmatur, quia debitum justitiæ fundatur in aliqua ratione dati, vel accepti, sed Deo non potest aliquid dari juxta illud Roman. xii: *Quis prior dedit illi, et retribuatur ei?* Ergo quando dat præmium pro meritis, et non pro dato, vel accepto, non dat ex justitia, et sic illi qui laboraverunt in vinea, denarium quidem receperunt tamquam præmium ex justitia, sed in præmium non receperunt denarium, sed aliquam laudem, quia strenue laboraverunt.

V. At vero Lorca sumit fundamentum. Primo, ex D. Thoma qui recompensationem beneficii reducit ad debitum gratitudinis 2-2, quæst. cvi, artic. i et v. Retributionem autem pro demeritis reducit ad jus-